

tam funditis civitatem, neque pulveris minimum ex antiqua mole relictum esse dicimus, sed scopandum esse, aut radendum pulverem ex ea. Quæ de re plura supra, cap. 14: *Mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet firmus usque ad purum.* Erit igitur sensus verborum Benadad, ita à se excindendam esse Samariam, ut neque in ea pars minima pulveris sit futura reliqua. Quod sibi factu futurum dicit esse facillimum, quia tantam in castris militum habet copiam, ut si illorum quisque pugillum egerat pulveris, res momento temporis peragenda sit. Neque in Samaria aliquid relinquendum præter purum nudumque saxum, in quo fundata est. Quod de Tyro dixit Ezechiel cap. 26, v. 4, cui simile minatur exitum: *Et radam pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpissimam petram.* Non longè ab hac sententiâ abluat Abulensis q. 5, ubi optimè superiorem explicationem confutat.

Septuaginta aliter hunc locum converterunt; ubi enim vulgatus *pugillis*, ipsi reddiderunt *vulpibus*, tametsi eorum aliqui codices, sicut vulgatus, *pugillis* habeant. Translationis varietas unde provenit, non est cognitu difficile; vox enim Hebraica modico flexu utrumque significat à radice שׂוּל *Saal*. Juxta hanc Septuaginta versionem sensus videtur esse non incommodus, ex totâ Samaria non esse relinquendum locum, ubi vulpes parare sibi possit foveam. In ruinis enim civitatum necesse est latebræ maneant ad occultandas feras opportuna, in quibus præcipuè numerantur vulpes, quæ in eâ regione frequentissimæ sunt. Sanè de Jerusalem excisa dixit Jerem. Thren. cap. 5, v. 13: *Propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Chaldaeus aliter: *Si suffecerit pulvis Samariae, ut tollatur vestigiis plantæ pedum populi qui mecum est.*

VERS. 11. — NE GLORIETUR ACCINCTUS AËQUE UT DISINCTUS (1). Proverbialis hæc videtur

(1) *Ce n'est pas en prenant les armes qu'on doit se vanter; mais quand on les quitte.* Ces paroles, qui ne regardaient que les guerres temporelles des rois de la terre, peuvent s'appliquer très-justement à ce qui regarde les combats tout spirituels dont parle saint Paul, que tous les Chrétiens ont à soutenir contre les princes des ténèbres. Il n'est donc pas temps pour nous de nous glorifier, tant que nous avons encore les armes entre les mains, c'est-à-dire tant que nous vivons, puisque toute notre vie, selon les saints Pères, est une guerre continuelle, où nous sommes exposés à mille périls. Il faut attendre, pour jouir de la gloire des enfants de Dieu, qu'on soit parvenu au repos céleste, lorsque toutes choses étant assujéties au Fils, il n'y aura plus de guerre à craindre,

forma, quæ illius insolentia deprimitur, qui cum nihil, aut parum possit, nihil sibi putat difficile; aut qui ante certamen concipit animo, imò et voce et tuba anticipat victoriam. Tale est illud Latinorum, quo reprehendere solemus illos, qui quod adhuc est acerbum et crudum, ad tempestivam tamen maturitatem pervenisse putant, et cum plurimum superest laboris et operæ, rem tamen esse perfectam existimant. Hos dicimus ante victoriam canere encomium, et fructum velle demetere ex segete, quæ nondum est matura, sed quæ ante messem, aut sterni potest à grandine, aut imbre procelloso, aut à vento sic affici, ut in favillam et fumum convertantur, quæ videbantur agricolis magnum emolumentum allatura, et spem ante conceptam miserabiliter eludant. Talis autem spes et messis dicitur adhuc esse in herbâ, ex quâ ad messem et horreum multi intercedunt casus, multa pericula, quæ agricolarum expectationem relinquunt hiantem. Hæc spe nondum maturâ seipsum fallebat ille, ad quem dixit femina, quam alter non magis tempestivè, quàm pudicè lactabat:

*Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herbâ est.*

Hebræi aliorum præproperum studium, et anticipatum gaudium, aut in dubio eventu certam spem alio solent coercere, aut corrigere proverbio. Dicunt enim aliud præcincto, aliud disincto futurum esse consilium, aliud meditandum illi, qui rem jam quietè possidet, quique nullum habet, qui contra aliquid adversum molitur; aliud illi, qui possessionem ambit, dum adhuc causa severis exagitur judiciis. Illum enim securitas otiosum reddit et pacatum; hic, quia ancipitem videt esse fortunam, et exiguis momentis magnas interdum accidere rerum inclinationes, neque attollit spiritus, si sapit, neque securum agit otium, sed undecumque putat imminere periculum. Qui in acie est, et hostem habet nondum subactum, nauquam deponit arma, neque pondus illud molestum putat, dum vitæ cavet et hostis vivit. Cum verò jam parta est victoria, neque hostis vivit, aut ita est fractus ut mutire non audeat, exhibulat lorica, armorum abjicit pondus, et propellibus, sub quibus agebat excubias, vitem eligit, aut ficum, ad quarum umbras securos captat somnos. Septuaginta paulò aliter ver-

et quæ une paix souveraine règnera éternellement parmi ceux qui, ayant vaincu le monde, déposeront et leurs armes et leurs couronnes aux pieds de l'Agneau. (Sacy.)

tunt, eodem tamen sensu, nec diversâ metaphora: *Non gloriatur gibbosus ut rectus.* Miles cum onustus incedat armis, vallo, frumento, ad multorum dierum cibaria, necesse est ut incurvus incedat; quis enim recto progrediatur corpore, qui tali subsit oneri, quale Tullius dicit esse familiare militi, dum militari progreditur more? Fert enim, ut docuit ille in Tusculanis, præter arma, quæ non computantur in onere, vallum, dimidiati mensis cibaria. Quæ omnia, quis ferre queat, nisi curvato corpore et inflexo collo? Unde fit, opinor, ut familiare militis epitheton sit incurvus aut gibbosus, quia hic nisi militari onere et labore perfunctus, erecto corpore non est. Quare sensus erit. Non gloriatur, qui in acie adhuc est, et onustus armis, aliisque militaribus sarcinis incurvus incedit, sicut ille, qui confecto feliciter bello, securo fruitur otio. Pro *disincto*, Hebr. est *mepateach*, id est, *apertus*; est autem apertus, qui inermis est, quique vulnere patet, aut qui jam securus, incommittatus incedit, et à satellitio nudus, quia nullum habet, à quo sibi cavendum putet. Ut autem is, quem alii custodia gratiâ comitantur, clausum habere dicitur, aut tectum latus, sic qui solus incedit, apertum dicitur habere latus, aut ab armis, quibus corpus includitur, aut à sociis, qui pro muro sunt.

Illud porrò observârunt, qui de re militari commentarios ediderunt, aut viri prudentes, qui aliquando militiam professi sunt, hostes non esse nimis urgendos, quibus animus à desperatione augetur, et ut sunt varii casus, et anceps fortuna belli, qui victores videbantur futuri, imò qui jamjam videbantur manu apprehendisse victoriam, percussos fuisse ab abjectis. Quæ de re nos pluribus supra lib. 2, cap. 2, ad illud: *An ignoras quidâ periculosa sit desperatio?*

Quidam ex Hebræis aliam hic metaphoram, seu metaphoricum proverbium agnoscunt, ex voce חֹקֵר *choquer*, quæ accinctum, et מֵפָתֵחַ *mepatheach*, quæ aperiens significat. Sic ergo vertit Hispanica translatio: *No salve el que cinne las llaves, como el que abre con ellas.* Tormenta muralia, arietes, catapultæ, claves quædam sunt, quibus ab obsidente hoste murorum claustra reserantur. Sed quemadmodum non omnibus, qui claves sibi conflaverunt, facultas conceditur aperiendi portas, aut arculas, unde sumant quod sibi maximè fuerat in votis (unde videtur frustra accinctus clavibus, quales gestare materfamilias solet, cui

datæ sunt claves tantum ad speciem, et utendi negata potestas, atque ideò de clavibus, si sapiat, gloriari non debet, quia præter onus nihil habet à clavibus), sic qui luculentum habet militarem apparatus, si non contingat aperire muros, et quæ intus recondita fuerint suæ sibi potestati subjicere, quod multas ob causas videmus accidere quotidie, frustra jactat militum copias, et quæ communi vocabulo bellorum impedimenta vocantur. Et quidem intempestivè scrutari vult Benadad regiam domum, et subditorum arculas, licet claves habere se putet, cum nondum victor domum aut arculas aperuerit. (1)

VERS. 13. — ET ECCE PROPHETA UNUS ACCEDENS AD ACHAB (2). Quis fuerit hic propheta,

(1) VERS. 12. — CIRCUMDATE CIVITATEM. ET CIRCUMDERUNT EAM. Nondum urbem arctiori coronâ cinxerant, nec obsidionem ritè formaverant: vallum, et fossa nulla ducta fuerat, quibus cuilibet ingressus egressusque pro receptâ tunc in obsidionibus disciplinâ prohiberetur. Quis sibi persuasurus fuisset, Achabum pati obsidionem suscepisse adversus formidabilem adeò exercitum, duobus et triginta regibus validum? Hebræus: *Dixit: Ponite; et posuerunt super (vel contra) civitatem.* Accedit propius ad urbem, admoveat copias et machinas, parate omnia ad aggressionem necessaria. Septuaginta: *Edificate vallum circum urbem.* Chaldaeus: *Dixit: Expedimini; et posuerunt se in insidiis adversus urbem.* Quæ postrema explicatio litteræ magis servire videtur. Utitur sæpè Scriptura hæc phrasi in obsidionibus urbium: *Ponere, locare insidias.* Phrasis est hicsuspensa: *Ponite, et posuerunt*, uti vernaculo nostrorum sermone usurpari solet: *Is domerent*, pro, manus conseruerunt, inierunt prælium.

(Calmet.)

(2) *Vous voyez toute cette multitude innombrable. Je vous déclare que je vous la livrerai demain entre les mains, afin que vous sachiez que c'est moi qui suis le Seigneur.* On a d'abord de la peine à concevoir comment Dieu peut se déclarer en faveur de l'impie Achab, et l'on s'attendait sans doute que Bénadad, roi de Syrie, allait fondre sur Israël pour le punir de tant de crimes qu'il avait commis. Mais ses jugements sont bien élevés au-dessus des nôtres. Les rois de la terre ne diffèrent point ordinairement à exécuter leurs vengeances, et l'impatience naturelle à l'homme le porte à presser la punition des coupables. Si Dieu en usait ainsi, qui oserait se promettre de subsister un seul jour en sa présence puisque ce monde, comme le dit excellemment Tertullien, est tout entier comme une prison qui enferme un nombre infini de criminels? Il use donc de patience et d'une très-longue attente, dit saint Paul, envers les pécheurs, et il les invite par la douceur de cette conduite à la pénitence. Ainsi il déclare au roi d'Israël, qu'en lui livrant cette multitude innombrable d'ennemis, il voulait lui faire connaître que c'était lui qui était véritablement le Seigneur de l'univers, c'est-à-dire, le

non constat; fuisse tamen verum, nemo dubitat, cujus prophetiam vocem ipse satis probavit eventus. Quidam putant fuisse Michæam filium Jemla, non Morastitem, qui, ut cap. 22 videbimus, his temporibus floruit. Sed cum alii hoc tempore prophetae vixerint, nihil potest affirmari certi. Mihi nemo minus fuisse videtur, quam Michæas; quis enim credat cum hoc nuntium tum lætum, tum verum attulerit Michæas, cui victoriam jure optimo adscribere debuisset Achab, postea ab illo tam severo edicto conjiciendum in carcerem fuisse cap. 12, v. 17? Hæc dicit rex: *Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiae.* Accedit quod Achab ab isto Michæa v. 8, nullum se audisse dicit vaticinium bonum, cum tamen hoc, de quo statim, perquam optimum fuerit. *Remansit, inquit, vir unus, per quem possumus interrogare Dominum; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemla.*

EGO TRADAM EAM (multitudinem) IN MANUM TUAM HODIË, UT SCIAS QUIA EGO SUM DOMINUS. Cum tam angustè à Syriis premeretur Achab, eoque esset desperationis adductus, ut ad illam sædam ac duram conditionem descenderet, verisimile est adisse deorum aras, quas uxoris hortatu variis in locis excitarat, atque inibi fecisse vota, et sacrificio multiplici Baalis et aliorum deorum misericordiam et auxi-

convaincre de l'impïété de sa conduite, lorsqu'il quittait un Dieu tout-puissant pour adorer des idoles faibles et incapables de secourir ceux qui les servaient.

On peut dire encore, avec quelques interprètes, que Dieu, en épargnant Israël, avait égard à ces sept mille personnes qui lui étaient demeurées fidèles, puisqu'un petit nombre de justes a la force quelquefois d'arrêter son bras, lorsqu'il est déjà levé et prêt à frapper les autres qui ont irrité sa justice, comme il l'assura à Abraham, quand il lui parlait en faveur de la ville de Sodome, que dix justes auraient pu sauver, s'ils s'y étaient rencontrés.

Un ancien Père nous fait fort bien remarquer que Dieu, pour convaincre plus fortement Israël que la victoire ne serait due qu'à lui seul, et non à leur force ni à leur courage, leur déclare avant le combat, par la bouche d'un prophète, qu'il se servirait pour vaincre leurs ennemis, des valets de pied des chefs des provinces, c'est-à-dire de deux cent trente-deux jeunes hommes accoutumés à servir, et non à combattre. Il ne pouvait pas sans doute humilier davantage toute la puissance des rois, qu'en faisant ainsi connaître que le succès des batailles dépendait, quand il le voulait, non du nombre, ni de la force, ou de la faiblesse des combattants, mais uniquement de sa souveraine volonté.

(Sacy.)

lium advocasse. Sed planè frustra, cum majus in dies singulos immineret ab hoste periculum, et ipse ac sui ita languerent animis, ut dare se in campum non auderent. Voluit autem Deus stolidum illum atque impium regem sui admonere erroris, atque ideò ut intelligeret nihil in idolis esse fidei, nihil constantiae, et à vero Deo sperari posse ac debere victoriam, prophetam mittit, qui victoriam promittat, certumque præscribat pugnandi modum, et prodigiosam illam victoriam argumento futuram edoceat, ut egnoscat illum solum verum esse Deum, cujus ipse religionem, inductis novis idolorum monstris, abjurarat.

VERS. 14. — PER PEDISSEQUOS PRINCIPUM PROVINCICIARUM. Tam Hebraica vos נַאֲרַ *naar*, quam Græca παιδάριον, filios significat et servos, Josephus filios esse putat, cum quo Historia Scholastica consentit. Vulgatus ad servos contraxit, cum dicit *pedissequos*. Illi autem magis videntur fuisse familiares, aulici videlicet, quique à principum latere nunquam discederent. Quod ex eo videtur verisimilius, quia non videntur eo numero tot fuisse venturi principum filii, qui eà essent ætate, ut tractare possent arma, et in primâ pugnatorum acie consistere: fuerunt enim ducenti triginta duo. Qui numerus pro principum filiis jam bello maturis multus esset et magnus; pro servis verò admodum exiguus, nisi illos intelligamus, qui honorarii sunt et assidui, quique propriè possunt appellari *pedissequi*. Hos igitur dicit propheta futuros esse primos in acie, et à quibus, ut incepturum esset prælium, sic incepturam esse victoriam. Quod consilium licet altius sit quam ut illud suggesserit bellica disciplina, quia illud Deus signum esse voluit divinitus concessæ victoriæ, tamen ad fortunatos rerum eventus plurimum refert viros principes, et regem ipsum, quem venerantur reliqui, interesse certamini. Addunt enim animos inferlori turbæ, et aliis quemdam ingenium pudorem incutiunt, si detrectarent arma, aut minus strenuè adierint bellorum discrimina. Quà de re nos plura lib. 2, cap. 17, parùm à principio, ubi hoc idem consilium dedit Absalomo Chusai, ut ille præsens esset pugnae. Similiter nunc Achab jubetur agmen antecedere, et initium facere pugnandi.

VERS. 16. — ET EGRESSI SUNT MERIDIE. BENADAD AUTEM BIBEBAT TEMULENTUS IN UMBRACULO SUO, ET REGES TRIGINTA DUO CUM EO. Hoc, opinor, etiam dixerat propheta, ut tempus illud Achab captaret ad pugnam, quod minus esset

hostibus opportunum, nempe meridianum, quando homines sunt intenti dapibus, distenti vino, in quibus est consilii parùm, et plurimum languoris et inertiae. Neque enim cum opera datur instructis epulis, et frequentibus poculis, armati sunt homines, et idoneè ad inferenda, seu propulsanda vulnera comparati. Cum autem Benadad egressos hostes ex urbe didicisset, hoc suis inprimis mandatam dat, ut sive pacem petant, sive bellum intendent, illorum neminem occidant, sed vivos ad se referant, ut vel à captivis discat, quo in statu sit Israelitarum fortuna, sive ut miserè illos alliget servituti, sive ut duris illos cruciatibus excarnificatos extinguat. Accidit autem multò aliter quam mente conceperat Benadad: nam cum illi, qui primùm occurrerant, essent à pedissequis principum provinciarum, qui in primâ fronte constiterant, gravi plagâ percussi reliqui exanimati subitò, et inopinato metu aut confecti sunt, aut in fugam diffusi, in quibus fuit rex ipse Benadad, et tot illi reges, qui auxiliares copias et manus ad illius imperium, sive votum armaverant.

VERS. 22. — ACCEDENS AUTEM PROPHETA. Idem hic videtur esse propheta, qui proximè Achab victoriam promiserat de Syro. Pergit Deus in regem impium esse beneficis, ut reducat ad se transfugam, et verum esse Deum cognoscat. Quare admonet regem, ut se in annum proximum præparet, quasi cum Syris iterùm certamen habiturus, quo tempore non minus se regi propitium præbuit quam antea præbuerat.

VERS. 23. — DII MONTIUM SUNT DII EORUM. Vox hæc, ut apparet, et ut conjectat Abulensis q. 10, adulatorum est, qui nolunt regem Syriæ ab hostemortali videri victum, quod non poterat esse non molestum regi, qui spe sibi certissimâ de Israelitide gente victoriam devorarat, et præ suâ aliorum nullam putabat esse potentiam. Dicunt igitur adultores isti, qui maxima principum pestis sunt, superatum esse Syrum non à mortali, sed à divinâ manu. Atque ideò oportere, ut hostes astu ab eo abducantur loco, ubi paratum sibi habet, et familiare Numinis auxilium. Hoc autem sentiunt, aut dicunt gnathones isti ex illo gentilium errore, qui putant pro locorum varietate varia etiam numina constitui: quæ ubi dominantur et præsent, vim existimantur habere potentissimam, extra verò aut nullam aut infirmam. Sic in mari marinos deos plurimum posse aiunt; quorum tamen in terris potentia nec imploratur nec timetur. Sic alii creduntur in

aere, alii in terris, alii sub terris exercere potentiam, quos si ex suis sibi sedibus extrahas, non est cur quicquam metuas aut speres. Exemplum hoc ex fabulis accommodatum succurrit. Favebat Antæo filio terra mater, dum tamen terram attingeret, quia supra terram nihil poterat; cum terram tangeret, à domitore belluarum Hercule superari non poterat; at sublata è terrâ facilè suo complexu Hercules compressit et extinxit. Inter hos deos vana gentilium superstitiò fingebat numina quædam quæ montes incolerent, illis præessent, et quæ in montibus fierent, suo moderarentur arbitratu, extra verò neque divinitatem habent aliquam, neque magis essent timenda, quam quæ nihil censerentur habere divinum. Quales sunt Sylvani, Fauni, Oreades, et illi de quibus August. lib. 4 de Civitate cap. 8, ubi montium jugis Jugatinum deum, collibus Colatinam, Valloniam vallibus deam præfecerunt.

Deinde observandum existimasse gentiles aliis nationibus alios deos favere, aliis adversari, prout variè illarum exigerent merita. Exemplis abundat tota Ilias Homeri et Æneis Virgillii, quod etiam de Hebræorum Deo suspicabantur Palæstini, lib. 1 Reg. cap. 4; ideò, cum viderunt arcam Dei in castris, quasi cum Deo existimarent sibi fore pugandum, dixerunt: *Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?* Vide quæ nos ad illum locum, quæ valde huc faciunt. Hi ergo qui regi Benadad erant à consiliis, pugnatum esse dicebant cum diis Hebræorum (sic enim illi plures esse Hebræorum deos putabant, sicut plerùmque aliarum nationum), et ab illis superatum fuisse Syrorum exercitum, non autem ab Hebræis. Quare ut cum hominibus potius quam cum cœlesti aliquo numine ineatur pugna, castra non in montosis, sed in planis atque profundis locis constituenda sunt.

Sed unde Syri Hebræorum Deum in montibus potius quam in planis aut depressis locis habitare ac dominari suspicati sunt? Sanè si victus foret in campo aut valle Benadad, in campestribus ac profundis locis, ut opinor, dominari dicerent, ne Israelitæ de Syris dicerentur retulisse victoriam. Sed quia in montibus gravem illam plagam acceperunt, in montibus dominari existimârunt, persuaseruntque nimis facili ac credulo Syrorum regi. Sed habuit Syrorum error aliquod in Scripturâ sacrâ fundamentum. Audierant in monte datam esse legem, neque dubia aut pauca fuisse signa quæ divinam in eo præsentiam declara-

rent. Visus etenim fuit fulgurum splendor, tonitruorum fragor, tubarum clangor, fumante monte, et horribile aliquid humanis oculis objiciente. Idem penè acciderat proximè, cum Dominus apparuit Eliæ, quod ignotum Syris non videtur, cum paulò ante fuisset Elias in Damasco, et regem unxisset Hazaelem, et multò ante Deus Moysi adhuc pastori ad eundem montem Sinai in ardente rubo se videndum obtulisset. Adde quòd ante excitatum à Salomone templum, in excelsis Deo sacrificabant Hebræi, quod vicinos Syros latere non poterat; qui etiam nòrant in monte Moria constitutum esse templum, et Deum maximè coli Hierosolymæ, et ibi illius esse præcipuum et quasi stabile domicilium.

VERS. 24. — AMOVE REGES SINGULOS AB EXERCITU TUO, ET PONE PRINCIPES PRO EIS. Quò spectat hoc consilium, divinandum est: neque enim apparet quodnam à principibus majus, quàm à regibus præstari possit ad secundum bellorum exitum emolumentum. Fortassè audierant à principum filiis (si modò illi potius filii fuere quàm servi) turbata castra, et primum ad victoriam aditum apertum; atque ideò sumere voluerunt ab hoste consilium, et principum filios, aut etiam pedisequos in acie primà constituere; qui hostilem impetum exciperent primi et inimicas acies disturbarent. Aut certè quia reges illi potius alienam causam quàm propriam susceperant, et pro alienà commoditate certabant, minùs se gesserunt strenuè quàm exigebat sociale fœdus, et data fides; quod de principibus, qui non solum pro communi, sed etiam pro suà causà laborabant, timeri non poterat. Aut certè, quia reges, utpote molliùs educati, languidi sunt et inertes, et quia laborem onusque recusant; principes verò, nempe in re bellicà (nam ubi Vulgatus *principes*, Hebraicè est *duces*) magis idonei sunt, et ferendo oneri, et bello administrando. Sic ego conjecto, alii alias rationes invenerunt, quas ego sicut omninò probare non possum, sic etiam omninò improbare non audeo.

VERS. 26. — ASCENDIT IN APHEC (1), UBI PUGNARET CONTRA ISRAEL. Conscripserunt exercitum, qualem

(1) Eadem facillè est urbs, cujus supersunt vestigia in lacu montis Libani mersa. Occupat is lacus tractum, quem olim facillè Aphec tenebat. Est autem lacus novem vel decem millium passuum circuitu. In imo aquarum fundo integræ plures ædes cernuntur; ex quibus capere licet urbis pulcherrimæ et amplissimæ argumentum. Decem horarum itinere abest

anno superiore collegerat, instruxeratque, ascendit in civitatem Aphec non montosam et arduam, qualis erat Samaria, sed planam atque campestem, quæ erat in tribu Aser, de quâ Josue cap. 19 (nam alia et ejusdem nominis in tribu Juda, de quâ Josue cap. 12, et lib. 1 Regum cap. 4). Hæc autem civitas licet pertineret ad filios Israel, cum esset in terrâ Chanaan, erat tamen à Syris occupata, sicut aliæ plures, ut constat ex hoc ipso c. 34, v. 34, cumque ex eo loco commoda esset in Israelitarum terminos irruptio, occurrit Achab, ut Syrorum impediret consilia, et spiritus frangeret.

VERS. 27. — QUASI DUO PARVI GREGES CAPRARUM, SYRI AUTEM REPLEVERUNT TERRAM. Ubi vulgatus *parvi greges*, Hebr. est *casiphe*, à radice  $\text{קשף}$ , quæ discooperire ac nudare significat. Quare  $\text{קשף}$  nudationem, sive spoliū significare potest, quale esset vellus, seu pellis à pecore detracta et ideò Hispanica translatio vertit: *Como dos pellejos de cabras*; et Tigurina: *Ac si essent duo denudati greges caprarum*. Prior explicatio planè hyperbolica est, si tamen aliquis illius habendam rationem esse putet. Duo enim caprarum pelles exiguæ sunt, et vehementer duorum agminum tenuitatem amplificat. Est fortassè Hebræorum proverbium, quod ad hunc usum non videtur ineptum. Sed non mihi displicet Tigurina translatio, quæ pro parvis gregibus greges posuit denudatos, quales nempe sunt cum tonsione vellera deposuerunt. Tunc enim licet numerosi sint greges, ita ut latam compleant planitiem et spatiosam sylvam, cum tamen recentes sunt à tonsione, et de lavacro ex pastoritâ disciplinâ egrediuntur, ut se mutuò confoveant, evitentque frigus, quod deposito proximè vellere, et ex

ab agro Balbec. Docent veteres jacuisse lacum propè Aphacam, ejusque in agro solum quoddam, unde flammæ identidem erumpebant. Juvant hæc nostram conjecturam quòd scilicet urbs Aphec lacu absorpta fuerit, subsidente ejus solo, cum ejus viscera depascens ignis solidam materiam, cui inhærebat, et ædium fundamenta incumbabant, absumperit. Lacus hujus aquas crassas et bituminis plenas reputemus oportet, si quidem vera narrantur, muna scilicet deæ Aphachitidi oblata ad aquas hujus lacus probari consuevisse. Si illa aquis injecta mergebantur, grata erant numini, si innatarent, ingrata. Levìa quæcumque, uti linum et lana, mergebantur; lapides et sæpè metalla innatabant. Aphec de quâ hic textus, alia est urbs, de quâ 1 Reg. 29, 1, jacente in magno Campo haud procul ab Jezrael, atque omninò diversa ab alterâ Aphec monti Libano insidente. (Calmet.)

aquâ, quæ recenter abluti sunt, contraxerunt, constipant sese, et ita in angusto coarctant. spatio, ut exigui videantur greges. Ex hæc gregum constipatione cum detonsis villis ex lavacro redeunt, sumitur illa similitudo, quæ Canticor. cap. 4, sponsæ dentes exprimit et commendat: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro*. Duo spectamus in dentibus, primum ut candidi ac mundi sint, et quòd non sint rari, neque aliquid vacui spatii inter ipsos relictum. Alterum habent ab ovibus, quæ lotæ sunt, cum primum villos deposuerunt. Quod fieri debere docuit Columella lib. 7 de Re rusticâ, cap. 4, et Virgilius lib. 3 Georg.:

*Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber  
Altius ad vivum persedit, et horrida cano  
Bruma gelu: vel cum tonsis illotus adhæsit  
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.  
Dulcibus idcirco fluvii pecus omne magistri  
Perfundunt; udisque aries in gurgite villis  
Mersatur.*

Quare cum pecudes spoliata villis et madentes aquâ necessariò frigeant, quæ possunt ratione se calefaciunt et fovent, atque ideò confertæ et constipatæ gradiuntur. Ex quo fit ut greges, etiamsi numerosi fuerint, exigui tamen videantur, quia parùm occupant spatii. Quare optimè, meo judicio, et juxta Hebraicos codices transtulit Tigurina, neque in alium sensum quò vulgata translatio, dum reddidit: *Ac si essent duo denudati greges caprarum*, quia hi conspicati exigui judicantur. Porrò in Palæstinâ capras esse tonsiles nemo non scit, cum audiamus saga ex pilis caprarum fieri ad cooperiendum tabernaculum, Exod. capite trigesimo sexto, et à filiis Israel oblatos esse caprarum pilos, Exod. capite trigesimo quinto. Sanè Plinius libro octavo de naturâ animal. capite 18, in Ciliciâ, quæ non procul abest à Judæâ, caprarum villos tonsiles esse tradunt.

VERS. 28. — ET ACCEDENS UNUS VIR DEI, DIXIT AD REGEM ISRAEL. Erat Syrorum exercitus usque adeò copiosus, ut terram, ubi consederat, latè constraverit. Huic verò rex Israel duas acies opposuerat pertenues, quales apparere solent totidem caprarum greges exigui. Quare non poterant Israelitarum animi esse non contracti, cum tanta esset inter duo castra dissimilitudo. Sed adfuit Deus qui abjectos excitavit animos, et desperantes confirmavit, à quo missus fuit vir Dei. Idem fortassè, qui proximè, qui victoriam promisit contra Syrios,

quia linguâ impudenti atque impiâ Israelitarum Deum in montibus tantum dominari dixerunt.

VERS. 30. — ET CECIDIT MURUS SUPER VIGINTI SEPTEM MILLIA HOMINUM, QUI REMANSERANT (1). Congressi sunt septimo, postquam è regione constiterant, die, duo exercitus, et contranite Deo fractæ sunt vires et spiritus Syrorum, stratis in acie centum hominum millibus, quibus ad fugiendum equorum velocitas subsidio non fuit. Nihilò tamen fuit his, qui fugâ elapsi sunt, fortuna melior; nam ex illis, qui ex castris se in Aphec civitatem proximam receperunt, viginti septem millia à murorum inopinatâ ruinâ perierunt. Quo id modo contigerit Scriptura non docet; est tamen verisimile, cum victor instaret Israelita, ut belli persequeretur reliquias, stetisse pro mœnibus propugnatores, ut hostem summoverent; et divinâ virtute corruisse muros, sicut olim ceciderunt Jerichuntini, et ab illorum insanâ mole oppressos esse Syros, luisseque subito ac miserando casu petulantis linguæ atque blasphemæ scelus.

IN CUBICULUM QUOD ERAT INTRA CUBICULUM.

(1) Selon la Vulgate, on dit: *La muraille tomba sur vingt-sept mille hommes qui étaient restés*. Un mur qui écrase par sa chute vingt-sept mille hommes présente un fait véritablement incroyable. Le continuateur des *Réponses critiques*, par M. l'abbé Bullet, a prouvé que ce passage devait être traduit ainsi: *Et ceux qui étaient demeurés à Aphec prirent la fuite vers la ville et on tomba avec fureur sur les vingt-sept mille hommes qui étaient restés*.

Toutes les circonstances exigent ce sens. Les Syriens, voyant leur armée détruite, cherchent à se sauver vers la ville d'Aphec, qui leur appartenait. Les Israélites vainqueurs les poursuivent et les taillent tous en pièces, suivant la prophétie de l'homme de Dieu: *Voilà que je vais livrer cette grande multitude entre vos mains*. Dès-lors on conçoit parfaitement que la ville d'Aphec a pu ne pas tomber entre les mains des Israélites, et Benadad, qui s'y était réfugié, aura pu de là envoyer des ambassadeurs, et traiter avec le roi d'Israël.

C'est aussi le sens de l'hébreu. La première partie du verset se traduit littéralement: *Ceux qui restèrent en Aphec s'enfuirent vers la ville*. Dans la seconde partie, 1<sup>o</sup> le mot hébreu que la Vulgate a rendu par *murus*, *mur*, signifie aussi *ira*, *furor*, *excandescencia*, *indignatio*, *colère*, *fureur*, *indignation*, etc. 2<sup>o</sup> Le verbe que la Vulgate a rendu par *cecidi*, *tomba*, *écrasa*, signifie également *percussit*, *occidit*, *invasit*, *trappa*, *extermina*, etc. Le texte original porte donc: *Et irruit furor super viginti septem millia virorum residuorum*; ou bien, *percussit furor super*, etc.; ou enfin, *percussit furor super*, etc.; ou tomba avec fureur sur les vingt-sept mille hommes qui étaient restés. (Duclot.)